



# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

## VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii quintâ mensis Januarii, anno Domini* M. DCC. XLVI.

M. DAVID VASSE, Doctore Medico,

M. ANTONII PEPIN, Regis Consiliarii & in Portu Brestensi Medici Primarii, vices gerente, Præside.

*An pluribus, quàm quodlibet organum, obnoxius morbis, Oculus?*

I.



CULUS [ Microcosmi Microcosmus alter: cujus gratiâ, omnia diversi generis creata sunt in Cœlo luminaria, in Terrâ verò ignes, luces, & Phosphori nascuntur, ex quibus fluunt fiuntque diversi, licèt similes in se ex quâ trahuntur materiâ, colores, quorum varietate in plano abscedentia, eminentiæ, concava depicta in conspectum prodeunt: alte-

rius quod Tactus vocatur, ſpatii commenſurandi ergò, organi conſors: Animæ ſicut totius & vultûs ſpeculum: Extima primo intuitu, intima verò ſive ratione ex Morali, ſive ex methodicâ ab Anatome experientiâ, ſcrutans quæ patitur homo: Affectionum, quæ à manifeſtâ nervorum per omnia membra ſympathicâ diſtributione excitantur, author ipſe: More ſuo & quàm eleganter vocem cum intentione ſignificandi æmulans: Eorum, quæ typis, chartæ, calamo ſtilove mandantur, aut parietibus tabelliſve quâlibet cælaturæ ſpecie repræſentata finguntur, intelligentiam clarè edocetur: Maximam lacrymarum vim effundendo mendax, dùm intùs, ſi præſertim Comœdiam egerit, lætitiâ afficitur, & animo gaudet, errorem ſimulans, & verſa vice, &c.] eſt totum viſionis inſtrumentum, aut organum quo viſio propriis ſuis fit partibus. Oculi tanta eſt dignitas utilitas & excellentia ut ejus ſtructura & actio miranda ſpectanti veniat: cum autem omnium quæ ad caput pertinent partium, & vim à cerebro influentem recipiunt, nulla tam & gravibus & variis pateat caſibus quàm Oculus, qui magnam partem ad vitæ ſimul & uſum & dulcedinem conferat, ſumma tuendi cura [ quæ hujuſce Theſeωs & objectum & finis] Medicorum eſt. Locum, ſitum, texturam, partes, imò Anatomen mirè exararunt plures Authores quos recenſere hìc prolixiùs eſſet. At Oculus, inquit Patinus, pars tantula tot morbis ſubjicitur ut vix conſtet de numero. Etenim. Oculus ex naturâ ſua exiguior, exilior, debilior omnibus aliis organis: Pluribus functionibus gaudet: Quâ utrâlibet utrâque imò ratione pluribus obnoxius morbis etiam computando demonſtratur.

## I I.

EXILITAS [ quâ, in Phyſicis, ſi creſcant parva, majora fiunt: In Medicinâ, ſi curentur quæ ſunt infirma, roborantur: In Moralibus quæ debilia, ſi bona, operantur fortiter ] eſt ſui objecti modo virtutis debilitas, modo organorum exiguitas, modo utriuſque infirmitas, ad intrà, ad extrà, quòcumque, ſemper & quolibet aut ſaltem quodam modo, fortiori obnoxia: Non ſic admodùm evenit oculo, ſi ad illam utramque exilitatem Phyſicam nempe aut *iatricam* ſpectetur, ſed vice verſâ: Creſcat homo pedibus ſex & amplius, amplior, proportione ſervatâ, non fit oculus, minor imò nonnunquam etiam in gigante, eoque ſæpiùs exilior, quò caput, ſi ſuâ propriâ-

que extenſionis formâ abnorme deveniat: quò autem maſſâ conſtat grandior Oculus, eò obtuſior acie. Quod univerſim obſervandum, unde phyſica virtutis debilitas: Si medicè luſtreris Oculum, nec robore firmiorem futurum ſperes cum convaluerit, aſt languidiorem deprehendes functionibus; futuro aptiorem morbo judicabis. Quibuſnam etenim Oculi ſtructura conflatur? Membranâ, nervo, liquidis: Tange non nihil membranam, dolorem excitas; Nervum diſtrahe leviter, ſpaſmum illicò, imò paralyſim, apatheian creas: Liquida ſubmoveas, turbabuntur; adeò hæc exilior materies! Nec dicatur Sclerotica robuſtior membrana, Albuginea itidem craſſa; quæ quidem ambæ ni aliarum reſpectu membranarum valentiores exiſtimentur, quia intimis & eſſentialibus hujus organi inſtrumentis, Meningum ad inſtar intrà Orbitam ſicut cerebro Cranium, Theca audiunt. Si aliorum ſenſuum cætera numeres organa, hæc infirma quidem curioſo videbuntur indaganti præ cæteris totius corporis humani partibus; at ſi utraque ad Oculum conferas, omnibus tibi totus hic naturâ ſua exilior, levior, debilior, infirmiorque habebitur. Nervi optici ſuâ expanſione, quæ levitas! Aliorum nervorum perreptantium diſtributione, quæ exilitas! Capſularum quibus continentur humores, quæ exiguitas! Diverſarum membranarum, ut Uveæ, principiorum ciliariorum, duas in aquis Cameras inter, quæ raritas! Oculo igitur nullum imbecillius organum.

## III.

FUNCTIO [ cujus tot diverſa munera, quot diverſæ naturæ, diverſa temperamenta, & horum diverſi habendi ſe modi ] eſt proprietas manens in ſuâ eſſentiâ, quæ actionis eſt cauſa abſolutè & relativè neceſſaria. Viſio eſt propria ſpecifica & eſſentialis Oculi actio quæ quàm multiplex infandum: ſi, quæ objiciuntur Oculo, conſideres; ſi quibus videtur organa rimeris; ſi ex iſtâ binâ objecti ſcilicet & organi mutuâ applicatione numeres quæ ſequuntur effecta; immenſum opus refugit mens. Primum quidem; quot diverſa corpora viſui objecta quæ colore & figurâ diverſis, diverſa efficiuntur objectivè? Tantus eſt diverſarum coloris ſpecierum numerus ut earum nomina proferre omnium linguarum nulla potis; adeò eſt objecti & coloris eorumdem ad ſe invicem applicatorum diverſa poſitio, ſitus, aſpectus, ut ex multifariâ alterutriùs aut utriuſque combinatione naſca-

tur diſſimilium cohors ingens! Quid 2°. de lucis qualitate, quantitate diverſis aut utriuſque miſtione, aut objectorum ad ſe approximatione, elongatione, diſperſione: Ad diverſitatem luminis, Sol, planeta, cometa, ſtella, flamma, ignis, phoſphori, tonitrua, lampades; Ad quantitatem aut miſtionem lucis hæc omnia eòdem veniunt; ad corporum diversè poſitorum, ex quibus mirè reflectantur, refringanturque colorum radii, ſitum & medium per quod tranſeant iſti, quot viſibiles oriundi recidunt ſpecies! 3°. Quot & quanta ex oculi fabricâ diſpari, diſpar & videndi cauſa: ſi ægrotat Oculus, ſi ſenex, ſi liquidorum diverſa coloris, materiei, liquiditatis diatheſeωs genera, quis hanc ab iſta viſionem toto cœlo differre negabit. 4°. Ex diverſo objecti ad organum habitu vix uſque dum varii in mentem cadunt ex arte modi. En alius Oculis utendi modus; cum alterutroque Oculo totam & omnem videndi facultatem obtineat natura, quidam ſapientes, aſſiduâ lectione nimiùm defatigati alterutroque vice verſâ nictitando utuntur admodum. Addam quatuor ſenſibus aliis ex mirabili inter ſe analogiâ quid ſui communicare Oculum aut gerere vices. Num Oculus experientiâ jam digito factâ de tactili judicat qualitate? Num de corporis commenſuratione figurâ, &c. Si agatur de ſono, nùm ex moto corpore quodam modo, ex tumultu arenarum, fluctuum, undarum, ex hominum conflictu & aliis diverſis, ſi tangantur, ſonoris organis auguratur ex ſequelà clamorem, ſonitum, murmur, fragorem, ſtridorem, clangorem, ſtrepitum ſentiri aut ſaltem exiſtere. At Odor & Guſtus Oculo coütuntur-ne? Coütuntur quidem. Videat Oculus Roſam, eam amaram, quia palatum prægustavit, & odore ſuavem quia nares priùs odorati, æſtimabit judex. Immenſum ergò quàm organum hoc pluribus gaudeat functionibus!

## IV.

MORBUS [ vitæ non ſemper hoſtis: Naturæ error nuſquam: Caſûs fortuiti nonnunquàm effectus: Sæpè in vitæ ratione abuſus: Medicantis fortè deliramentum; intùs, extrinſecùs, utrimque feriens: Quibuſque ætati, ſexui, quâque regione, tempeſtate, multifariam oppetens: Propterquem honorandus ex neceſſitate Medicus: Cujus gratiâ Medicinam creavit OMNIPOTENS, &c. ] eſt diatheſis actionem lædens: Una ſolaque mala diſpoſitio plures occupat partes aliquando; aliquando & plures unam; & ſi una plures ſæpè

deturpat partes, una rarò unam diſturbat affectio, quam ſi jamjam non adſunt, ſequuntur citò & plura ſymptomata: Hæc cujuſque generis communis ſcilicet & proprii exempla proſtant in Oculo quem undique & circulatim, cauſæ, morbi, & effecta unanimi appellunt concurſu: Huic, quàm cuique alteri organo, citiùs, frequentiùs, multipliciùs inſunt adveniunt naſcuntur morbi quorum ingens extat numerus, cujus quidem ratio non ſtrictè repoſcenda, quippe quæ Theſeως limites & temporis ſpatia prætergrediatur, ne inopportuna pariat tædium computatio quæ incœpta nec finiatur. Si hujus organi morborum fontes ex mole, figurâ, duritie, motu hauriantur, quot, licet communia, cauſarum, inde morborum ſimul & ſymptomatum, imò horumce trium unà recurrentium & verſâ vice genera affatim deducenda quis enarrabit? Malè afficiatur utcumque Oculus, totius corporis ſentinarum Cloacina eſt: Si plethora, ſi cacochymia, ſi febris, ſi lochiorum, menſtruorum, hæmorrhoïdum, ulcerum, coryſæ, alvi fluxuum nonnihil ſuppreſſio, pœnas luet inſons. Si, ut curetur ipſe, poſteà in partes revehere, repellere, reducere vitia, aut ibidem alterari in animo eſt, quid, quando, quâ ratione, quonàm pote. In humoribus modò ſumpſit exordium morbus, modò in ſolidis, modò in utriſque; nunc ſimilaris, nunc organica affectio: ſi conſideretur ratione cauſæ, ſubjecti, temporis, effectûs, ſtatûſque fiunt pejora prioribus ſymptomata: Ad unum ſolumque licet tàm diversè videndi organum organi quælibet collimant particulæ externæ, internæ, imò & neceſſariò circumſtantes, orbita, pinguedo, glandula, vaſa, nervi, muſculi, membranæ, fibræ ciliariæ, humores diverſi, aqueus, cryſtallinus, vitreus, &c. Horumce omnium ne unumquidem excipiendum, quò plures & genere diverſi producantur morbi, quorum unâ ſolâque particulari affectione vitietur organi functio, imò quandoque ipſummet deturpetur, deſtruaturve organum: Hinc Oculi morborum nomenclatura ſi recenſeatur, lectores patientia animique decet attentio. Totius globuli aut ejuſdem partis ritè procedunt inflammatio, dolor, tumor, pro diverſitate particulæ eroſio, preſſio, protruſio; oſſium orbitæ caries, exoſtoſis; aliarum partium mollium abſceſſus, ulcera, fiſtulæ, carcinomata, cancri, unde depravatâ oculi figurâ, tribus unove alteratis humoribus, mutatur viſûs axis, & radiorum collectio in ſuo turbatur circuitu; ſi glandulæ pravas fundant lacrymas, quæque ſit earum diatheſis, ſi mala, aut eas reſorbentia vaſa recipi minus apta, in palpebris inflatio, inflammatio, conglutina-

tio, concretio, suppuratio, grandinosis, glandularum sebacearum diversa affectio; hinc visionis turbatio, Oculorum sordes, eorum aciei retusum acumen, humorum perversio, &c. Si caruncula, si limbi, si foramina lachrymas absorbentia quâque de causâ vitientur, alii generantur speciei diversæ morbi, visûs obfuscationes, lachrymarum in genas effusio, harum erosio, inflammatio, lachrymalis fistula, sacci nasalis obstructio, erosio & alia quamplurima concomitanter circumstantia mala: Si corneæ aut albugineæ membranæ numeres contrà naturam, quæ ex variis diversisque causis accidunt & morbi & symptomata; sese sistunt, sarcosis, cicatrix, unguis, perla, panniculus, albugo, cartilago, obscuratio, dealbatio, œdema, incrassatio, phlyctenæ, &c. quibus visio sæpiùs depravatur, impeditur sæpè, aboletur nonnunquam. Si aqueus humor deficiat, transparens corrugatur cornea, marcessit Oculus: Si non renovatus humor iste stagnet, putrescit Oculi fabrica, aut saltem deturpatur admodùm; si abundantior, tunc tumor, dolor, in elephantinam molem excrescentia, &c. Si ejus mutetur color quot diversarum affectionum quanta soboles: Si uveæ eadem quæ suprà, sed minùs sensibilia præ partium tenuitate, ophtalmiâ dolet Oculus, quâ visio quot causis inde afficiatur tot inde multiplicato numero sequantur effecta. Crystallini, vitrei humoris, retinæ ipsiusmet, nervi optici & horumce meningum morbi iterùm atque iterùm augescunt eundo; unde stupendum quod eodem quo veritatem opinantur mortales, & rerum existentiam sentiunt potiusquàm eorum naturam intelligunt, eôdem organô hallucinatio, fallacia, confusio, hebetudo, strabismus, luscitas, visio nocturna itidem diurna, & sexcenta alia morborum genera, quæ si authores legeris computaturus, morborum iliadem habebis; eos maximè authores pervolvas, qui Græcâ scripsêre linguâ, quâ mirum in modum, morborum etymologia & causa sæpiùs aut natura, aut eorumdem symptomata, aut locus, modus, tempus, &c. uno vocabulo graphicè explicantur, exprimuntur, describunturque ut exempli causâ, ἡμεραλωπία, νυκταλωπία, ἀμβλυωπία, μυωπία, πρεσβυωπία, ἀμαύρωσις, ῥινοπτία, &c.

V.

TANTI ergò æstimandum Oculi opificium, quanti valet ejus energeia, ex quâ mirabilis facta est ARTIFICIS scientia, qui infirma elegit organa ex quibus tam multiplices educerentur effectus : Ast neque infirma organa, neque eorum multiplices effectus veritatis osores dicent. Quid respondendum ? Nos ipsismet plura dicemus. Si physicè loquamur, Oculum totum quotumque prorsùs & partim firmis stare partibus, ossibus occlusum, musculis mobilem, diversis intrà liquidis repletum, putamen fortius atque validius bombyce sumus affirmaturi, imò nervis, membranis, generis cujusque vasis colligatum affabrè : Si tandem Oculum Medicè consideremus, quot quantisque subjacet morbis ? Num imbellis miles qui tot trucibus atque diris se sistit hostibus; quot ærumnæ, insidiæ vitandæ, bella ferenda sustinendaque prælia! Naturâ ergò suâ, inquiemus, & functionibus & penè infinitis quibus subjacet morbis valet oculus ? Præstò sit responsum. Hæc oratoria, non physica, quantò minùs Medica; ideò cum suprà scriptæ recidant probationes, aufugit objectio. Instabunt Medici, non quidem, sed medicastri; cui bono Thesis hæc ? Documentum pro responso habeant : Ideo proponi Oculum pluribus quàm quodlibet organum obnoxium morbis, ut 1°. ipsi oculo [ quia penè infinitis & quidem levibus suâ structurâ implicatur partibus ] studeatur. 2°. Ut ipsi oculo [ quia quàm plurimis fungitur muneribus ] consulatur : 3°. Ut tandem ipsi oculo [ quia pluribus quam quodlibet organum opprimitur morbis ] Medicè succurratur. Hanc Thesim qui gnarus legerit, ipsam Oculi compendium & ejus morborum specimen ex hypotheseωn syndrome judicio confirmabit. Dicent quidam genitalia in utroque sexu, sed maxime in sequiori exiguiora stare structurâ, pluribus functionibus suffragari, morbis subesse quàm plurimis : At discussionis, relationis, computationis instituatur ratio, occidit error. Idem de qualibet quorumvis organorum parte censeatur, ut de pulmonibus, hepate, linguâ, &c. Quælibet Oculi affectio sæpius lædit visum, imò & Oculi œconomiam solvit, unde organi etiam viventis destructio, servatâ ejusdem ad instar Cadaveris materiaturâ. Si quis tandem nec naturâ debiliorem Oculum, nec pluribus functio-

nibus addictum procaciùs contenderet, tunc pacis causâ, ambobus concessis, ordinali numero & computatione demonstratur morborum pluralitas, unde sequitur.

*Ergò pluribus, quàm quodlibet organum, obnoxius morbis, Oculus?*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Bartholomæus Murry.*

*M. Carolus Payen.*

*M. Tussanus-Gilbertus Boulland, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*

*M. Gaspardus Cochon du Puy, in arce Maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*

*M. Jacobus-Franciscus Vandermonde.*

*M. Jacobus-Albertus Hazon.*

*M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Medicus Regis, domus Reginæ nec non Serenissimæ Delphinæ ordinarius.*

*M. Joannes-Damianus Chevalier, Regis Consiliarius Medicus ordinarius in insulâ Sancti Dominici.*

*M. Emmanuel-Mauricius du Verney.*

Proponebat Parisiis, STEPHANUS POURFOUR DU PETIT, Parisinus, in Supremo Senatu Parisiensi Patronus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1746. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1746.